ORATIO HABITA IN CREATIONE

Sereniſsimi Venetiarum Principis

LEONARDI DONATI.

Ab Illuſtriſs. & Excellentiſs. Equite & I.C. Octauio Fantino patricio Mantuano, ac Oratore Sereniſsimi Ducis Mantuæ.

Die 18. Februarij. 1606.



588
4

VENETIIS, MDCVI.

Apud Rubertum Meiettum.

Google

Digitized by Google

ORATIO.

OPTATISSIMVM *quidem foret Sereniſſime Princeps, Illuſtriſſimi, & Excellentiſsimi Patres, ſi poſſet Sereniſsimus Mantuæ Dux præſens, ingentem animi lætitiam declarare, quam percepit, cum ad aures eius peruenit tuam Serenitatem ad hunc ampliſsimum honoris gradum omnium contentu, ac votis fuiſſe ſublatam: certiſsimis namq. inditijs, quę ad eum peruenit de tua amplificata dignitate lætitiæ voluptas, multo Illuſtrior, & clarior appareret. Verum enimuero, quià id offitij ipſe hoc tempore præſtare non poteſt, nos miſit, qui hanc tibi gratulandi prouinciam ſuſciperemus. Innumeræ porro ſe offerunt ad gratulandum cauſæ, quis enim non intelligit, quanta fructuum copia, in totum Chriſtianum orbem deriuanda ſit, cum optimè regitur hæc Sereniſsima Reſpublica, quæ totius Chriſtianæ religionis, aduerſus eius immaniſsimos hoſtes eſt propugnaculum firmiſsimum? Vniuerſa quoque Italia, quid non ſe ſaluam & in columem fore ſperarit, cum hæc fortunatiſsima Reſpublica, quæ eius eſt præſidium & ornamentum Illuſtriſsimum, ſuis nixa fundamentis, tuta, ſtabiliſq. perſeuerarit? Perſpicuum vero eſt quantum firmamenti ob vicinitatem ſuam Mantuanæ Ditioni accedat, ſi, qui huius præſtantiſsimæ Reipublicæ gubernaculo præſunt, eam fæliciſsime temperent, ac moderentur. Hæc vero ingentia commoda, quando ſperandum eſt magis abundè obuentura quam te Duce Leonarde Sereniſsime,*

Digitized by Google

niſsime, qui ad omnium ſalutem ac ſoſpitatèm natus eſſe videris? fuiſti enim ſemper inſignis in Deum fide, in homines charitate, cęleſtis theſauri cupidus, terreni aſpernator, animus tuus non inflatus, non turgidus, ſed excelſus, ingens, Auguſtus, natus ad magna omnia. Tu Imperatorias ac Regias legationes, grauiſsimis in negotijs & difficillimis temporibus obiuiſti. Tu eximiarum Vrbium Praeturas ſapientiſsimè geſsiſti. Tu in belli rumore ad confirmandas & muniendas armis res Venetas militum imperium prudentiſsime adminiſtraſti. Tu in Senatu ita conſilio & eloquentia valuiſti, ut tuam ſententiam ferè vniuerſi ſequerentur, ita ut cum omnes Reſpublicæ ciuitates hactenus rexeris, ad eaſq. maxime ſubleuandas delectus fueris, cùm duriſsima Reipublicæ tempora poſtulabant, tuæ virtuti hoc ſupremum ſupereſſe videbatur, vt in quaſi altiſsima ſpecula huius excelſi ſolij locareris, in qua ad inſtar lampadis præclariſsimæ ad vniuerſorum mortalium vtilitatem ſumma laudis celebritate perluceres. In hoc igitur ſublimi præſtantiſſimæ dignitatis gradu poſitus Sereniſſime Princeps, ſapientia, & æquitate optimatum conſilia diriges, vigilantia, & ſollicitudine Ciuium fortunas tueberis, clementia & benignitate tenuiorum inopiam, & egeſtatem tolerabis, quæcunque terra, mari ve, domi, foris ve agenda erunt ad tuam prudentiam moderanda referentur, nil tibi latendum erit, vt aſſiduis vigilijs ac curis tu is omnibus prodeſſe, ac opitulari poſſis. Tu legatos Principum audire, Tu eis reſponſa dare, Tu amicitias cum illis inire, Tu fędera, Tu pacem, Tu concordiam cum cæteris gentibus, ac nationibus conſeruare, & cuſtodire debebis; adeo vt

ſperan-

ſperandum ſit, non ſolum hanc Venetiarum terreſtrem, maritimamque oram ob tuam ſingularem prouidentiam felicem ac beatam futuram; verum etiam longe, lateque ad omnes Reges ac Principes cunctaſque cæteras nationes huius tuæ incredibilis ſapientiæ fructus uberrimos redundaturos eſſe. Tantorum vero bonorum ſpes de te concepta, eo conſtantius, ac firmius hominum animos occupabit, quo bene de omnibus mereri, ac innumerabiles ad mortalium incolumitatem vtilitates importare, proprium eſſe videtur tuæ familiæ, tui generis, tuiq. nominis: etenim ab ea gente, cui a Dono nomen inditum eſt, ueluti quæ a præpotenti Deo ad hominum ſalutem donata ſit, quid mirum, ſi infinita ad hominum genus beneficia promanent? & ne longius abeam, habes Sereniſſime Princeps, fratrem Illuſtriſſimum virum Nicolaum Donatum, quem honoris cauſa nomino: is tuis veſtigijs inhærens in publicis gerendis negotijs, quæ illi ab hac Sereniſſima Republica, & magna et ardua commiſſa ſunt; ſe tuarum laudum æmulum & optimè factorum ſectatorem egregium præbet. Hæc veſtra familia inuictiſſime Dux peperit alias Sereniſsimum Principem Franciſcum Donatum uirum æterna memoria dignum, de cuius laudibus nulla poſteritas conticeſcet; in cuius præclariſsimis facinoribus recenſendis non eſt, quod ego hos Excellentiſsimos, & Illuſtriſsimos Patres morer, cum de rebus eius præclarè geſtis plena ſint recentium, veterumq. annalium monumenta. Facinus tam eius omnium ſeculorum commemoratione dignum tacitus non præteribo, quo præbuit inſigne documentum inuicti animi erga cupiditatem honoris, a qua tantopere mortales excruciantur, ſimulque

amplum

amplum dedit teſtimonium, ſingularis ſuæ erga patriam caritatis, ſuæ ipſius vtilitati quæque maxima poſt habendo. Etenim cum virtus huius præclariſsimi viri, illum ad ſummam Ducis ampletudinem perduceret, ſuiq. ciues ad iſtum honoris gradum, quem vnum altiſsimum Ciuitas hęc habet, tollere cuperet, ac niteretur, de ipſius gloria ſolliciti; hic tamen ſummæ integritatis vir, imminentibus eo tempore Reipublicæ periculis ob futuri Ducis in longius protractam electionem, atque alijs quibuſdam in iſtum locum magna properatione feſtinantibus cum eos anteuertere poſset, vltro ceſsit: ò admirabilem hominis innocentiſsimi virtutem, omnium ore, & voce prędicandam, qui ſummos honores cum interfuit Patriæ vilifecit, & cum eidem Patriæ vtile fuit, non recuſauit. Ex hac igitur ſtirpe, quæ tot pręſtantes, & omni laude prædictos viros tulit progenitus eſt Sereniſsimus Princeps Leonardus, qui cum maiorum ſuorum facta Illuſtria hactenus æquauerit; quid mirum, ſi in tam excelſo dignitatis ſolio collocatus ea nunc, ſit mirabilem in modum ſuperaturus. Hæc itaque cum animo euolueret Sereniſsimus Mantuæ Dux, non potuit non ingentibus gaudijs exultare; cum audiuit, te Sereniſsime Princeps, hac ſuprema omnium dignitate ornatum; tum ob veterem, quæ tibi cum illo interceſsit familiaritatis & amicitiæ neceſsitudinem, tum ob antiquam, quam ipſe a ſuis maioribus accepit, & ad poſteros ſuos tranſmittere cupit, erga hanc Sereniſsimam Rempublicam vix credibilem pietatem, & obſeruantiam: eos ſemper hæc florentiſſima Reſpublica in protectione, & tutela ſua tanquam filios cariſſimos complexa eſt: ipſi viciſſim veluti erga matrem ſummo ſtudio diligendam

gendam

Digitized by Google

gendam omnia grati animi offitia præſtare ſtuduerunt; quæ mutua offitiorum viciſſitudo, cum conſeruata fuerit cum anteceſſori tuo Sereniſſimo Principe Marino Grimano, pro certo habemus, cum tua Serenitate non ſolum continuandam eſſe, ſed & omni animorum conſenſione augendam & cumulandam. Hæc vero ſunt illa Sereniſſime Princeps Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Patres, quæ Sereniſsimus Mantuæ Dux voluit a me explicari, tum ad ſignificandam animo conceptam uoluptatem de te Sereniſsimo Duce creato, tum ad ſectandam perpetuam ſuam erga hanc Sereniſsimam Rempublicam propenſam voluntatem, tum ad pollicendam ſuam in quacunque erit opus diligentiſsimam operam, & acerrimum ſtudium. Quod offitij genus haud dubito, quin tibi Sereniſsime Princeps, ad animi fructum accidat iucundiſſimum, illudq. (quæ tua eſt humanitas) benigniſsimo animo ſis accepturus.

F I N I S.

88-850710

Digitized by Google